

Quibus per S. congregationem regularis disciplinae 22 Febr. 1804, Sanctissimus, veris existentibus narratis, benigne annuit PRO GRA-

TIA juxta petita, constitutionibus ordinis, aliisque non obstantibus, etc.

I INDULGENTIA.

SACRAE CONGREGATIONIS INDULGENTIARUM DECRETA.

Laudes divini nominis.

(1. Dio sia benedetto — Benedetto sia il suo santo nome — Benedetto sia Gesù Christo vero Dio, e vero uomo — Benedetto sia Gesù nel SS. Sacramento dell'altare — Benedetta sia Maria Madre di Dio — Benedetto sia il nome di Maria Vergine e Madre — Benedetto sia Dio negli Angeli, e Santi Suoi.

DECRETUM URBS, ET ORBIS.

Ex audientia Sanctissimi die 8 Augusti 1847.

Ut Sanctissimum illud Domini nomen, quod, testante Psalmista, a solis ortu usque ad occasum est laudabile, ab universis Christianis praecepta devotione invocetur, Indulgentiam unius anni pro quolibet vice laudes, quarum initium *Dio sia benedetto*, etc., corde saltem contrito, ac devote recitantibus, die 23 Julii 1801, a Pio PP. VII, sa. me. concessam, Animabus quoque in Purgatorio detentis, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX, in audientia die 22 Martii currentis anni, applicabilem esse declaravit. Humillimis demum porrectis precibus a R. Fr. Aloisio Giorgetti Ordinis Minorum Provinciali, ut pro praefata recitatione plenaria quoque indulgentia concederetur, eadem Sanctitas Sua, ipsis oratoris precibus peramanter exceptis, indulsit, ut omnes utriusque sexus Christiani semel saltem in die dictas laudes per integrum mensem recitantes, indulgentiam plenariam, una tantum cujuslibet mensis die, uniuscujusque arbitrio eligenda, dummodo vere poenitentes confessi, ac sacra communione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium, juxta mentem Sanctitatis Suae, pias ad Deum preces effuderint, lucrari possint, et valeant; facta insuper potestate ipsam etiam plenariam indulgentiam Fidelibus pariter defunctis applicandi. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla brevis expeditione.

(2. *Dubia pro indulgentia Viæ crucis.*

Beatissime Pater,

Dominicus Maria Savy Aturensis episcopus in Gallia, S. V. humiliter deprecatur, ut ad sequentia dubia, et quaesita per sacram Indulgentiarum congregationem respondere dignetur.

1. Multoties ad dealbandos parietes, ab iis disjungantur simul, vel successive quatuordecim cruces, vel imagines *Viæ Crucis*, aliquando ex una ecclesia in aliam transferantur, vel in oratorium: quaeritur, an mittantur benedictio et indulgentia?

2. Ad lucrandas indulgentias *Viæ Crucis*

in ecclesia; vel oratorio erectæ annexas, requiritur recitatio *Sex Pater*, et *Ave* post quatuordecim stationes?

3. Quando propter gravem causam accidentalem Ordinarius praecipit vel approbat orationem *Quadragesima Horarum* dictam, possuntne fideles indulgentiam plenariam lucrari, positus de jure ponendis?

4. Facultas data die 12 Junii anni 1822, consistendi sua peccata infra octo dies, quæ praecedunt festum, cui annexa est indulgentia plenaria, extenditur ad dies orationis 40 horarum consecratis; et communicatio potest fieri die praecedenti, modo visitetur sanctissimum sacramentum fidelium adorationi expositum?

5. Possuntne applicari indulgentiæ coronis, seu annulis argenteis, vel aureis, in quibus sculpti sunt globuli decem, ad recitandum rosarium, vel tertiam ejus partem?

6. Possuntne indulgentiis sanctæ Birgittæ dictis donari coronæ precativæ quinque, et non sex decadem? Post quamlibet decadem requiritur recitatio symboli apostolorum ad lucrandas indulgentias?

7. Licetne, aut saltem convenitne iterum applicare indulgentiam in articulo mortis. 1° quando ægrotus accepit applicationem in statu peccati mortalis? — 2° quando post applicationem diurna laborat ægitudine: uno verbo, quando rituale permittit, aut praecipit iterationem extremæ unctionis, aut confessarius judicat iterandam esse absolutionem? — Et Deus, etc.

Ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum. — Die 20 Junii 1836.

PROPOSITIS DUBIIS RESPONSO.

Ad 1. Non amittuntur benedictio et indulgentiæ, si una, vel altera tantum crux removeatur a pariete ecclesiae ad illam dealbandam, sed si simul omnes cruces removeantur (ut postea iterum ponantur in d. Ecclesia), Fideles eo tempore lucrari nequeunt indulgentias, si in aliam ecclesiam, vel oratorium translatae sint cruces sine Apostolica facultate.

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. In Decreto cit. legitur: « In locis in quibus ob inopiam confessoriorum nequeunt fideles frequenter confessione sacramentali expiari, postulantibus communicetur decretum dat. die 19 Decembris 1763, de Confess. hebdomadalibus, etc. et facto verbo cum SS. extendatur ad omnes Christianos, unde confessio peracta infra hebdomadam, ante festivitatem suffragari possit ad indulgentiam lucrandam, expletis aliis conditionibus injunctis, et dummodo nullius lethalis culpæ post peractam confessionem commissæ conscii sint; nihil innovando circa indulgentias ad formam jubilæi con-

cessas, ut in praedicto Decreto 19 Decembris 1763.

R. Vigore cit. decreti 12 Junii 1822, obtemperata facultate, ut supra, a postulantibus, quoad confessionem, *Affirmative*; id est extenditur etiam ad indulgentiam lucrandam in oratione 40 horarum concessam. Quoad communionem peragendam die praecedenti, *Negative*; quia indulgentia pro solemnitate orationis 40 horarum concessa, non incipit a primis vespersis, sed de mane exposito SS. sacramento, et communio fieri potest in pervigilio earum festivitatum tantum, in quibus Indulgentia incipit a primis vespersis, ut ex praecit. Decreto 12 Junii 1822.

Ad 5. *Negative* pro indulgentiis rosarii recitationi concessis.

Ad 6. *Negative* quoad primam partem, nisi habeantur peculiares facultates. *Affirmative* ad 2. partem, si dicatur corona sex decadam s. Birgittæ nuncupata.

Ad 7. ad 1 et 2. *Negative.* Sicut non iteratur extrema unctio, et si ægrotus sacramentum hoc accepit in statu lethalis peccati, vel postea in peccatum relapsus est; sic non est in utroque casu iteranda benedictio pro lucranda plenaria indulgentia; quæ cum concessa sit a Summis Pontificibus pro mortis articulo, suum sortitur effectum in vero articulo mortis. (P. Theodor. a Spiritu S., par. II. De Indulg., cap. 11, art. 5, § 5.)

Ad 3. prout jacet, *Negative pariter in omnibus.* Neque valent exempla iterationis extremæ unctionis, ac absolutionis. Iteratur sæpe absolutio, sed pro remissione peccatorum quoad culpam etc. Iteratur extrema unctio in ipsa infirmitate; si diurna sit, ut, cum infirmus convalescit, iterum in periculum mortis incidat (Ritual. Rom. De extrema unctione), quia per istud sacramentum peccata venialia remittuntur, ægroti mens a timore mortis liberatur, animusque pio et sancto gaudio repletur etc., ac sanitas quoque corporis eidem, si ita expediat, rededitur (Trid. Synod. sess. XIV De extrema unctione). Aliunde vero Indulgentia Plenaria per Apostolicam benedictionem lucranda remittit poenam temporalem peccati, et in vero mortis articulo efficaciam habet (ait P. Theod. cit.) ut fideles vere contriti de peccatis ad æternam beatitudinem statim perducantur.

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex Sec. S. congreg. Indulgentiarum.

(3. *Orationes vernaculo idiomate.*

Beatissime Pater.

Nonnulli sacerdotes Sabaudiae ad pedes S. V. provoluti, cum humilitate et reverentia exponunt dubium a B. V. solvendum, videlicet:

1. Utrum in idioma gallicum vertere liceat preces quasdam cum indulgentiis latine et italice scriptas, et in libro, cui titulus — *Raccolta di Orazioni, e pie Opere coll' Indulgenze* — relatas. Quæ versio gallice videretur necessaria, ut preces praedictæ cum ube-

FERRARIIS. IV.

riori fructu a plebe utramque linguam nesciente legi ac intelligi possint?

2. Utrum fideles, recitando preces jam dictas, sic gallice versas, indulgentias, ut prius ante versionem lucrentur?

Ex secretaria sacrae congregationis Indulgentiarum sacrisque Reliquiis praeposita.

In decreto approbationis opusculi, cui titulus — *Raccolta di Orazioni, e pie Opere, per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze* — a Sacra Indulgentiarum congregatione pluries evulgato, ac praesertim pro nona editione sub datum Romæ die 30 septembris 1837, minime prohibitum est eam alio quocumque idiomate vertere et exarare; sed monetur potius, « quod si in quacunque ejusdem operis editione, seu versione cujuscumque idiomatis, tam in Urbe quam extra exarata, vel quæ exarari contingat, dubium aliquod subinde emerit, sive quoad Indulgentiarum concessionem, sive quoad praescriptas concessionem adimplendas, ad postremam hanc editionem typis Michaelis Perego — Salvini gnaviter excusam, et in ipsius S. congregationis secretaria asservatam, recursus habeatur. »

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex eadem S. congregationis Indulgentiarum secretaria die 14 Maii 1838.

Loco & Sigilli.

A Canonicus Prinzevalli Substitutus.

(4. *Dubia pro indulg. Viæ Crucis.*

Quidam vicarius generalis in Gallia sequentia dubia proponit:

1. Detecta nullitate alicujus erectionis stationum *Viæ Crucis* ob defectum executionis conditionum in Apostolico Rescripto, vel de jure praescriptarum, est ne necesse, hujusmodi nullitate sanata, iterum benedicere cruces et pictas tabellas jam antea benedictas?

2. Petitiones pro hujusmodi erectionibus fieri debent cui de jure in scriptis sub poena nullitatis concessionis, vel sufficit quod factæ sint ore tenus?

3. Si hujusmodi erectio nulla detegatur ob omissionem documenti in scriptis talis concessionis, et secuta executionis, poteritne hujusmodi defectus in posterum, atque etiam post longum tempus suppleri?

4. Estne tempus determinatum, et quale, pro confectione documenti secuta erectionis stationum *Viæ Crucis* vigore Apostolici Indulti?

Ex sacra congregatione Indulgentiarum sacrisque Reliquiis praeposita sic respondetur:

Ad 1. Dummodo nullitas non cadat super cruces antea benedictas, minime necessarium est, alias nullitate sanata, iterum cruces benedicere.

Ad 2. Quanquam in scriptis, ac de consensu Ordinarii, et loci patroni optanda sit petitio, tamen si ore tenus, sub poena nullitatis, *Negative.*

Ad 3. Suppleatur Documenti defectui per novas litteras institutionis, seu confirmationis ab Ordinario conficiendas, dummodo constet aliunde de sequuta erectione.

Ad 4. *Negative*, sed expedit ut quamprimum conficiatur Documentum juxta Apostolicam concessionem, ne dubia in posterum orientur.

Datum Romæ ex sec. ejusdem S. congregationis Indulgentiarum die 27. Januarii 1838.

Loco ✕ Sigilli.

M. Ginnasi Secretarius.

(5. *Alia dubia pro indulgentia Viæ Crucis.*

Beatissime Pater,

Archiepiscopus Bituricensis ad pedes S. V. provocatus humiliter exponit, quod delegatus a S. V. ad erectionem S. Viarum Crucis cum facultate subdelegandi parochos suæ diœcesis, aliquoties viva voce delegavit: aliquoties scripto ad parochos misso, non autem inserto in codicibus, sive parochiæ, sive archiepiscopatus: aliquoties tandem scripto inserto quidem in codicibus sive archiepiscopatus, sive parochiæ; postulatione vero dictæ erectionis a parochis facta, viva voce, non autem supplicem libellum scriptura exaratum.

Cum autem quidam pii sacerdotes in vulgus emittant responsiones sacræ Pœnitentiæ, quæ ut validas tantum habent, si veræ sint, erectiones, quæ scripto postulatae fuerunt, et concessæ, et quarum concessio inserta fuit in codicibus sive archiepiscopatus, sive parochiæ, ubi facta fuit erectio.

Dictus archiepiscopus, animarum paci consulere volens, enixe rogat S. V. ut respondeat velit:

1. Utrum ad validitatem erectionis sacrarum Viarum Crucis necessarium sit, ut postulatione erectionis scripto fiat, scripto etiam concedatur erectio, et utrum dictæ insuper concessionis remanere debeat instrumentum in codicibus, sive archiepiscopatus, sive parochiæ; et tandem utrum sit necessarium erectionis ipsius testimonium in ejus parochiæ codicibus insertum.

2. Posito quod hæc omnia sint indulgentiarum conditio sine qua non; rogat idem archiepiscopus, ut sanare velit omnes erectiones in sua diœcesi factas ab octo et triginta annis, ita ut, non obstantibus præfatis defectibus, omnes utriusque sexus fideles lucrari valeant indulgentias sanctarum Viarum Crucis consuetas, percurrendo stationes quæ sic erectæ fuerint, quod etc.

Ex sacra congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita die 28 Septembris 1838.

Cum, sicut humillime exponerat archiepiscopus Bituricensis ab Apostolica Sede delegatus pro Viæ Crucis stationibus erigendis, cum facultate ad eundem effectum ejusdem suæ diœcesis parochos quoque subdelegandi, per plures annos erectiones S. Viæ Crucis pluribus in locis præfatæ diœcesis absque postulatione in scriptis fuisse peractas, nonnullas vero sine instrumento concessionis, alias demum, quin in codicibus parochiæ testimonium erectionis insertum fuisset; hinc sacra Indulgentiarum congregatio remature perpensa, auditisque consultorum

votis, spiritualem fidelium utilitatem prospiciens, sanavit quemcumque defectum, stationesque ab octo et triginta annis sic erectas convalidavit, et insuper voluit ut in posterum, facultatibus archiepiscopi ab Apostolica Sede impetratis perdurantibus, sive absolutis, iterum impetrandis, omnia ac singula quæ talem erectionem respiciunt, scripto fiant, tam nempe postulatione quam erectionis ejusdem concessio, quarum instrumentum in codicibus archiepiscopatus remaneat, et testimonium saltem in codicibus parochiæ inseratur.

Datum Romæ ex secretaria ejusdem S. congregationis Indulgentiarum.

(6. *Dubia super translat. Viæ Crucis.*

Ad sacram Indulgentiarum congregationem circa dubia sequentia.

Quæritur 1. An, quando cruces quædam, seu imagines stationum Viæ Crucis representantes, ob reparationem, seu ornamentum templi, vel ob quoddam aliud motivum legitimum sunt provisorie tantum translatae ad paucum vel ad longum tempus, istud sacrum exercitium Viæ Crucis amittat Indulgentias sibi annexas?

Quæritur 2. An in casu amissionis Indulgentiarum ob translationem provisionariam quarundam imaginum, necessaria sit nova istarum, seu omnium imaginum benedictio?

Quæritur 3. An supposita illa nova imaginum benedictione, requirantur denuo omnes cæremoniæ præscriptæ, sicut pro prima institutione Viæ Crucis?

Quæritur 4. An sex *Pater Ave*, et *Gloria* requirantur ad lucrandas Indulgentias Viæ Crucis, sive stationes visitentur privatim, sive solemniter et cum concursu?

Quæritur 5. An quædam stationes ex gr. prima, decimaquarta, et quædam aliæ, si solæ visitentur, habeat unaquæque indulgentiam plenariam?

Quæritur 6. An omnes Christifideles, ex adversa valetudine, vel ex justa aliqua causa præpediti quin valeant visitare Viam Crucis in ecclesiis, possint Viæ Crucis indulgentias lucrari meditando de passione Christi coram tabulis lineari pictura expressis in libro ad hoc composito, prout fuit concessum a SS. PP. Pio VII fel. mem. in Brevi ad venerabilem archiepiscopum Burdigalensem transmissis sub die 20 mensis Augusti anno 1822?

Sacra congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, ad præfata dubia respondit ut infra.

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. et 3. Jam responsum in primo.

Ad 4. Ex monitis sacræ hujus congregationis jussu Clementis XII, sub die 3 Aprilis 1731 edictis, eruitur esse tantum pium usum, laudabilemque consuetudinem a fidelibus inchoatam.

Ad 5. *Negative.*

Ad 6. *Affirmative*, dummodo libellus, quem in lucem prodidit Clar. Vir Petrus Bombelli, ex speciali privilegio Pii VII. sub die 10 Januarii 1804, ac Pii VIII sub die 23 Novembris 1830, habeat in calce decretum hu-

jusmodi concessionis suscriptum a Rev. Patre ministro generali, seu commissario generali ordinis Min. Observ. S. Francisci. In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex sec. ejusd. S. cong. Indul., die 3 Augusti 1842.

(7. *Indulgentia portiuncula.*

ANCONITANA DECRETUM.

Cum ad hanc sacram Indulgentiarum congregationem delatum fuerit quæsitum: An ecclesia olim Fratrum Minorum gaudeat indulgentiis ordini præfato concessis, cum idem ordo non amplius exstiterit. Et hinc propositis dubiis. 1. Utrum ecclesia ordinis Minorum, nunc devoluta Ordinario, propter circumstantias in qua sacra faciunt sacerdotes sæculares, fruatur iisdem Indulgentiis ut primum, præcipue illa de portiuncula. 2. Utrum ecclesia ordinis Minorum utique vendita, sed sacerdoti ordinis Minorum sine habitu religionis tradita, ut in ipsa sacra faciat, gaudeat pariter indulgentiis supradictis. 3. Utrum Ecclesia ordinis Minorum pariter vendita, ab acquirente curatur, ut sacra in ipsa aliquando fiant a presbytero sæculari; quæritur an supradictis fruatur indulgentiis.

Eadem S. congregatio particulariter habita die 13 mensis Januarii anno 1818, auditis consultorum votis, remature perpensa, fuit in voto.

Negative ad primum, quoad indulgentias concessas generaliter, vel specialiter omnibus Christi fidelibus visitantibus ecclesias ordinis Min. et ideo etiam quoad illam de portiuncula: et similiter *negative*, quoad secundum, et tertium.

De quibus facto verbo cum SS. in Aud. habita die 10 Februarii 1818. Eadem Sanctitas Sua votum S. congregationis benigne confirmavit.

Datum Romæ ex secretaria sacræ congregationis Indulgentiarum die 10 Februarii 1818. J. PH. CARD. SCOTTI.

Loco ✕ Sigilli.

Angelus Constaguti, Secr.

(8. *Indulgentiæ perpetuas.*

Beatissime Pater,

All' occasione che passò da Torino nel 1813, il Sommo Pontefice P. Pio VII. di S. memoria, la congregazione dell' Oratorio di S. Filippo andò a baciargli i sacri piedi.

Il Superiore gli domandò le indulgenze, e privilegi etc., che godeva detta congregazione prima della soppressione.

Il S. Padre rispose, che tali privilegi, e tali indulgenze non erano cessate, poichè (son sue parole): *Siete stati oppressi, non soppressi*; la soppressione non è stata legale.

Ora detta congregazione, per sua maggior quiete, e per norma ventura, supplica umilmente V. B. a voler su di ciò manifestare la suprema sua volontà. Che ec.

Sacra congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, ad preces ven. congregationis Sancti Philippi Neri, Taurinen. diœcesis, respondendum esse censuit.

Nulla indulgentiarum, seu privilegiorum nova concessione, ob allatam in ipsis precibus rationem, indigere.

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex Secr. ejusd. S. congregationis Indulgentiarum, die 26 Augusti 1840.

(9. *De suspens. indulg. et de cruciata.*

DECRETUM.

S. congregatio Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita, cui demandata est cura circa rectam et prudentem Indulgentiarum administrationem, nec non dubiorum interpretationem; cum non obstante Brevi emanato a SS. Domino Nostro Leone PP. XII, quod incipit *Cum Nos super*,

Sub datum 21 Junii 1824, nonnulla oborta sint dubia:

1. An suspensa censeatur indulgentia plenaria, occasione benedictionis solemnibus ab episcopis impertiri solitæ in aliquibus diebus solemnioribus. 2. An inter indulgentiarum suspensionem locum teneant indulgentiæ della *Crociata* nuncupatæ: Hinc ut ista dubia penitus amoveantur, S. eadem congregatio, de mandato SS. Domini Nostri Leonis PP. XII. habita in palatio Vaticano die 19 Decembris 1824, re prævio diligenti examine discussa, fuit in voto:

Ad primum. *Affirmative.*

Ad secundum. *Ad mentem SS.*

Factaque de iis omnibus per me infra-scriptum ejusdem S. congregationis secretarium relatione SS. Domino Nostro, in audientia habita die 22 Decembris 1824, Sanctitas Sua ipsius S. congregationis votum quoad primum approbavit, et quoad secundum commisit mihi infrascripto, ut Eminentissimo domino de la Somalia secretario status patefacere suam mentem, videlicet, ut nuntiis prædictis Hispaniarum, Portugalliæ Algarbiorum, et utriusque Siciliae regni notum faceret, quod, attentis peculiaribus temporum circumstantiis, ex speciali gratia, et in exemplum minime allatura, Sanctitas Sua pro hac vice clementissime annuerit ut indulgentiæ cruciatæ hoc anno jubilæi haud suspensæ remaneant.

In quorum fidem: Datum, etc.

10. *Dubia de Via Crucis, quæ proponuntur solvenda a S. Congregatione Indulgentiarum.*

1. An qui habet facultatem erigendi Viam Crucis, benedictione tabularum et crucium prius facta, teneatur ipse tabulas collocare, et stationes percurrere, ut valida sit erectio?

2. An benedictione tabularum et crucium facta a sacerdote legitime delegato, alter quicumque tabulas collocare possit privatim, sine cæremoniis, et etiam in alio tempore?

3. An quando in priorum tabularum locum aliæ substituuntur, nova requiratur facultas illas benedicendi, et Viam Crucis erigendi?

4. An mutatio tabularum et crucium de loco in locum in eadem ecclesia secum importet annihilationem indulgentiarum Viæ Crucis annexarum?

Sacra congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, præmittens, quod in erectione Viæ Crucis benedicendæ tantum sint cruces, minime vero tabulæ seu picturæ, ad præfata dubia sic respondendum esse censuit.

Ad primum. *Negative*.

Ad secundum. *Affirmative*.

Ad tertium. *Negative*, dummodo substitutio non sit majoris partis crucium.

Ad quartum. *Negative*, quando fit in eadem ecclesia.

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex secretaria S. Congregationis Indulgentiarum, die 22 Augusti 1842.

(11. *Dubium de una tantum commun. pro lucranda indulg.*)

Durante la visita vescovile, ed i ritiri spirituali, che si fanno spesso nelle parrocchie, si può lucrare l'indulgenza plenaria, e si ammettono alla comunione più persone, le quali non hanno preso Pasqua: si domanda se in questo caso possono contare su questa indulgenza della visita, o del ritiro per mezzo di una sola comunione, e se con questa sodisfano al precetto pasquale, e se è richiesta la condizione di comunicarsi ordinariamente per lucrare l'indulgenza plenaria.

Si può fare la stessa domanda al soggetto del giubileo. Permettere due comunioni di seguito a delle persone, che qualche volta se ne sono private per lunghissimo tempo per una negligenza colpevole, ed una condotta poco Cristiana, potrebbe piuttosto scandalizzare, di quello che edificare?

Sacra congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, ad præfat. Dubium sic respondendum esse censuit.

Affirmative quoad 1. partem quemadmodum responsum fuit ep. Monasterien. relate ad acquisitionem indulgentiæ plenariæ Papali benedictionis adnexæ, quæ in Paschate resurrectionis impertitur, una, eademque communione tantum in Paschalis præcepti adimplementum peracta. Quoad secundam partem, similiter *affirmative*, nisi aliter constet ex Bulla Indictionis jubilæi.

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex S. ejusd. S. C. I. die 13 Decembris 1841.

(12. *Indulgentia absq. licent. Ordinarii.*)

Proposito dubio huic sacre Indulgentiarum congregationi a quodam sacerdote diocesis Tarraconensis, utrum frui posset nonnullis indulgentiis, seu gratis absque habilitatione, licentia seu *Exsequatur* Ordinarii sui?

Eadem sacra congregatio sub die 28 Julii 1840. respondit *Affirmative*, videlicet quoad usum et fructum Indulgentiarum posse oratorem licite et valide, sed private tantum iisdem uti gratis, dummodo in nullius gravamen cedant, aut in præjudicium tertii, aut scandali occasionem præbeant; et dummodo orator hæc Apostolicas gratias et facultates sine licentia... typis mandare non præsumat.

In quorum fidem, etc.

Datum Romæ ex secretaria ejusdem S. congregationis Indulgentiarum die 12 Decembris 1840.

(13. *Communio pro lucr. Indulg. in festo Pasch.*)

Pro parte episcopi Monasteriensis petitur resolutio decisiva ad quæstionem sequentem:

Num is qui in die festo Paschatis, quo benedictio Papalis datur ab episcopo, et ea de causa indulgentiæ plenariæ concessæ sunt, pro lucrandis his indulgentiis SS. sacramenta penitentiae et Eucharistiæ suscipit, per hanc SS. sacramentorum susceptionem, etiam præcepto Ecclesiæ de communione Paschali simul satisfaciat, aut num adhuc iterato ad hæc SS. sacramenta tempore Paschali accedere teneatur?

DECRETUM URBIS, ET ORBIS.

Delatis precibus ad hanc sacram congregationem Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositam ex parte episcopi Monasteriensis, in quibus dubium proponebatur: Num is, scilicet qui in die festo Paschatis, quo benedictio Papalis datur ab episcopo, et ea de causa indulgentiæ plenariæ concessæ sunt, pro acquirendis his indulgentiis SS. sacramenta penitentiae et Eucharistiæ suscipit, per hanc sanctissimorum sacramentorum susceptionem, etiam præcepto Ecclesiæ de communione Paschali simul satisfaciat, aut num adhuc iterato ad hæc SS. sacramenta tempore Paschali accedere teneatur? Sacra eadem congregatio, auditis consultorum votis, respondendum esse duxit; Consulendum SS. Factaque de omnibus eidem SS. Domino Nostro Gregorio PP. XVI. per me infrascriptum cardinalem præfectum relatione in audientia habita die 19 Martii 1841. Sanctitas Sua benigne declaravit « Per confessionem, et communionem die Paschalis resurrectionis peractam, et indulgentiam plenariam Papali benedictioni adnexam lucrari, et satis præcepto Paschali fieri. »

Datum Romæ ex secretaria ejusdem S. congregationis Indulgentiarum, die et anno quibus supra.

C. CARD. CASTRACANE PRÆFECTUS.

Loco ✕ Sigilli.

A. Canonicus Prinzivalli substitutus.

(14. *Indulg. pro prec. Angelus Domini, et transl. indulg.*)

Eminentissimi patres,

Titius presbyter congregationis S. Sulpitii in Gallia, et ejusdem seminarii superior, S. congregationi Indulgentiarum sequentia dubia suppliciter exponit:

1. Utrum necessarium sit flectere genua, quando ad pulsum campanæ recitatur oratio *Angelus*, etc. ad consequendas indulgentias Apostolicas?

2. Utrum Sabbato, hora meridiana, prædicta oratio recitari queat sine genuum flexione, ad easdem indulgentias lucrandum?

3. Utrum festa Epiphaniæ, Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, dedicationis omnium ecclesiarum, et patroni ejusvis parochiæ quorum solemnitas exterior ex Concordato anni 1802, ex indulto Eminent. card. Caprara, transfertur in Dominicam sequentem, secum trahant indulgentias singulariter unicuique annexas? Sitne liberum unicuique fidei illas lucrari, vel ipso die festo, vel Dominica in qua remissa sunt festa?

4. Utrum dignaretur Sanctissimus Pontifex Gregorius XVI de Apostolico Thesaurio indulgentias impertiri recitantibus orationes:

O Jesu vivens in Maria, etc.
O Domina mea S. Maria, etc.
Memorare, o Piissima Virgo, etc.
Ave Joseph, Fili David, etc.

Quæ sunt in usu frequenti in seminariis, verbi gratia indulgentiam 40 dierum alterutrum ex ipsis recitantibus, et plenariam in mense applicabilem defunctis in purgatorio detentis, consequendam ab iis qui per tringinta continuas dies aliquam ex ipsis recitaverint:

Quam Deus, etc.

Ex secretaria S. congregationis Indulgentiarum.

12 Februarii 1833. Super propositis dubiis respondetur:

Ad 1. *Affirmative* juxta litteras Apostolicas in forma brevis S. M. Benedicti XIII. sub datum Romæ 14 Septembris 1724.

Ad 2. *Negative*, quia prædicta oratio sine genuum flexione recitari debet « in Dominicis, ac Vesperis antecedentibus, id est in Sabbato de sero, nec non tempore Paschali, » etc., juxta sancita a S. M. Benedicti XIV, 20 Aprilis 1742.

Ad 3. Standum indulto cl. mem. card. Caprara quo prædicta festa Epiphaniæ, etc. transtulit in sequentem Dominicam. Sed advertendum num in eodem indulto mentio fiat de translatione quoque indulgentiarum; indulgentiæ enim lucrari debent in ipsis solemnitatibus de quibus celebrantur Officium et Missa, uti constat ex supplici libello, ubi dicitur, quorum (festorum) solemnitas exterior. Hoc in casu cuique fidei non est liberum Indulgentias lucrari, vel ipsis diebus festis, vel in Dominicis in quibus remissa sunt.

Ad 4. Quoad preces, *O Jesu vivens, etc., Domina mea, etc., Memorare, etc.*, respondetur, non expedire; infinitus est enim numerus orationum indulgentiis ditatarum; et juxta constitutiones ac regulas S. congregationis, de Thesaurio Ecclesiæ non conceduntur nisi gravi ex causa, sin minus proportionata.

(15. *Duratio indulgentiarum.*)

DECRETUM.

Cum ad sacram Indulgentiarum congregationem proposita fuerint infrascripta dubia, videlicet:

1. An indulgentiæ in perpetuum concessæ, in perpetuum durent.

2. Et, quatenus negative, an ad viginti annos protrahantur, ut cum Pontas alii auctores arbitrantur.

3. An suspendantur anno universalis Jubilæi.

4. An translato festo, simul transferatur indulgentia eidem adnexa.

Eadem S. congregatio, auditis consultorum votis, et re maturo examine perpensa, sic ad præfata dubia respondendum censuit, etc.

Quoad primum *affirmative*.

Ad 2. Provisum in primo.

Ad 3 *Affirmative*, nisi Pontifex aliquas expresse excipiat.

Ad 4. *Negative*.

Hinc facta per me infrascriptum secretarium, relatione SS. Domino nostro Pio PP. VII. in audientia sub die 22 Junii anno 1819. Sanctitas Sua S. congregationis votum benigne approbavit. In quorum fidem.

Dat. Romæ ex secretaria S. congregationis Indul. die 23 Junii 1819.

B. CARD. NARO PRÆF.

Loco ✕ sigilli.

Angelus Costaguti secretarius.

(16. *De Via Crucis dubia.*)

Beatissime Pater,

Actualis episcopus Brugensis in Belgio S. V. humiliter exponit, quædam dubia in diocesi sua existere circa valorem indulgentiarum sacrosanctæ Viæ Crucis orta ex responsis, uti asseritur, unius ex consultoribus S. congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum, ex quibus eruebatur pro valore indulgentiarum S. Viæ Crucis, præter ordinarias condiciones requiri: 1. Ut sint quatuordecim cruces. 2. Ut ea in ecclesiis ita collocentur, ut incipiant a cornu Evangelii, et desinant in cornu Epistolæ. Cum vero in hac diocesi Brugensi uti et in toto Belgio, a tempore immemorabili contrarius extiterit usus, nempe ut loco quatuordecim crucium, quatuordecim icones mysterii cuiuslibet stationis adhibeantur, et ita dispositæ sint, ut incipiant a cornu Epistolæ, et desinant in cornu Evangelii, juxta usum instituendæ processionis in Belgio, cumque ex utriusque hujus usus immutatione in quibusdam ecclesiis hujus dioceseos facta (in vim prædictorum responsorum) incommoda, nec non obloquia oriantur; hinc ad S. V. humiliter recurrit præfatus episcopus Brugensis, quatenus dignetur declarare.

1. An loco quatuordecim crucium possint adhiberi et retineri 14 icones vel tabulæ depictæ representantes mysteria cuiuslibet stationis.

2. An indifferens sit ut incipiant a cornu Epistolæ, et desinant in cornu evangelii, an vice versa. Et Deus, etc.

Ex secretaria S. congregationis Indulgentiarum die 13 Martii 1837. Dubiis propositis super exercitio Viæ Crucis respondetur

Ad 1. *Negative*: Possunt, ubi commode fieri potest (ait Summus Pontifex Benedictus XIII in sua constitutione *Inter plurima*. quinto Nonas Martii 1726, super exercitiis